prorsus operæ videri, nec inanis tantùm sumtus, sed & in publicum damnosum esse. Hic postremus aries est, quem illi movent, hunc si repulerimus vindicata satis alieni laboris editio erit. Sed nihil magno molimine opus, quando negari non potest, impressa vel distracta ob famam, vel suppressa ob odium contemtumve ejusdem sæpe cum manuscriptis raritatis esse. Nizolii certè opus, quod nunc affero, non vereor ne quisquam jam tum in multorum manibus esse dicat. Quod non tam ex me habeo, ne à mea rei librariæ notitia, quæ exigua est, alios æstimare videar, quàm ex viris doctissimis & in hoc studiorum genere versatissimis, qui aut nunquam, aut rarissimè conspectum sibi fassi sunt. Quare non puto prudentem quenquam mihi vitio versurum quod in cæteris passim probatur. Certè eruditi illi Angli qui tot aliorum labores in scripturam sacram uno Bibliorum Criticorum volumine complexi sunt, omnium plausum tulere. Johannes Fichardus JCtus Francofurtensis diligentem operam dabat, ut Jurisconsultos egregios per Italiam Hispaniamque editos, & in Germania inventu raros iteratæ editioni maturaret. Laurentius Strausius Medicus editione theatri Sympathetici, variorumque opusculis in eo junctim recusis, operæ certè pretium fecit. Quis Regiam typographiam Parisiensem, Elzevirios Blaviosque non laudat, qui suis vel Notitiis, historiis, memoriisve, vel Rebuspublicis vel Atlantibus tot præclara monumenta per Bibliothecas alioquin latitantia in luce ponunt. Idem editoribus velleris aurei, artis auriferæ, & theatri Chemici scopus fuit, quod illi cum voluptate sentiunt, qui his studiis dediti, conquirendi, & multa velut arcana describendi, quæ nunc facile parabilia sunt, molestissimo onere levantur. Jano Grutero antiquitatis & historiæ studiosi æternas gratias deberent, etiam si nihil de suo, sed collectos tantùm aliorum utilissimos labores tùm in face Critica, tùm in Chronico Chronicorum politico (ubi nomen suum sub Gualteri Belgæ nomine non necessaria verecundia occuluit) incudi reddidisset. Sed à collectione variorum in unum ad certa certorumve autorum